

129

127

133

123

138

118

178

114

Nam modo est flavum, modo album, modo nigrum, modo lus-  
tulentum, modo atrum, modo clarum, modo turbidum, modo  
aureum, modo rubeum, et omni modo sicut coelum coloratum  
apparet, sic et mare. Quamvis tamen utrumque respicienti  
et comparanti aliter appareat. Vide saepius quod aquae ita  
nigrae apparebant, sicut incustum et tamen coelum videbatur  
splendidum. Ideo aliquando a flatibus ventorum sic vel sic  
coloratur, aliquando ex firmamenti resplendentia.

### De periculis multiplicibus navigantium.

078

Evagatio per mare multis incommodis subjacet. Ipsum  
enim mare inconsuetis est maxime nocivum, et diversis ratio-  
nibus multum periculosum. Est namque timoris incussivum;  
doloris capitinis gravativum; vomitus et nauseae provocativum;  
appetitus cibi et potus ablativum; corporis humani alterativum;  
passionum excitativum; et multarum peregrinarum qualitatum  
allativum; mortalium et extremorum periculorum causativum;  
et saepe amarissimae mortis inductivum. Et hoc periculum  
est terribilissimum, quod prudentes maxime timent, stulti vero  
parum curant. Unde navigante per mare Aristippo, magno  
philosopho, in tempestate nauseam passus et subversionem  
stomachi et capitinis vertigine auxiatus mortem timuit. Garrulus  
autem quidam redita tranquillitate, et cunctis restitutis sanitati  
pristinae, dixit philosopho: quid est, quod nos idiotae intrepidi  
sumus, vos autem philosophi trepidatis? Respondit: quia non  
de simili anima utriusque studemus. Te enim pro nequissimi  
nebulonis anima nequaquam decuit esse sollicitum: ego vero  
obnoxius debui de philosophi morte timere. Nam et divites  
amplius fures timent, quam inopes. Animam plenam virtutibus  
fero, insidiosissimum furem, latronem atrocissimum, raptorem  
crudelissimum mare merito timeo. Porro omnia maris pericula  
jam praetacta nemo melius probare potest, quam expertus,  
qui non legendo aut audiendo didicit, sed sentiendo et  
experiendo. Unde Ecclesiastici cap. 43. v. 26. Qui navigant  
mare, enarrant pericula illius, et audiemus auribus nostris et  
admirabimur. Haec ille. Generaliter autem transfretantes patiuntur  
periculum aut ratione maris, aut ratione aëris, aut ratione

Ende

Anfang

